

29
Δυναμὸν & Ὑψίστη!

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
POSTERIOR

De Causa- litatibus Causarum,

Quam

INDULTU

Amplissimæ ac Spectatissimæ
Facultatis Philosophicæ

In Illustri Lipsiensium Academia,

PRIORI VICE

PRO LOCO

in eadem obtinendo

publicæ ac placidæ Sophorum disquisitioni
ventilandam submittit

M. DANIEL Winger /
Halâ-Saxo.

Ad diem XIX Decembris Ann. M DC LXXIV.

LIPSIÆ,

Typis JOHANNIS ERICI HAHNI.

De Causis
Dissertatio Philosophica
Posterior

Causarum

Inductum

Amplissimum ac Spectabilissimum
Facultatis Philosophicæ

in Illustri Lipsensium Academia

Priori Vice

Pro loco

in eadem obsequio
publicæ et private scriptionis disputationi
prohibenda submittit

M. DANIEL BINGEL

Philos. Saxo.

in diebus Decembris M. DC. LXXV.

LXVII

Typis Johannis Henrichi



Dei Virtute!
SECTIO III
DE CAUSALITATE FORMÆ

TH. I.



FORMÆ CAUSALITAS est

Non triplex, 1. *elargiri* nempe *essentiam*, 2. *rem ab aliis distinguere ac separare*, & 3. *operari*,
qvalem Jac. Martini *Part. Met. L. I, S. IIX, Q. V, p. m. 357*,

nonnullos assignare, eamque velut formæ officia distinctis his titulis indicare refert;

qvia licet causalitas illa tertia, sive, ut appellant isti, officium formæ tertium, non omnino sit rejiciendum, palam tamen est, rectius & verius composito, quam formæ, alteri duntaxat compositi parti, operationes esse attribuendas.

Nec gemina, ipsius Martini *c. l. p. 358*; primo videlicet *materiam informando actuare*, & post *composito existentiam conferre ac communicare*;

qvia materia, statim atque informata, *uno ac simultaneo actu* existentiam compositi involvit. *Exercet forma suam causalitatem primo in materia, eam actuando, informando & perficiendo, quo facto statim una ista actione simul influit in ipsum compositum, illud intrinsece constituendo*, apte nobis scripsit B. H. Prætorius *Can. Met. S. XX, Can. I, p. m. 364*; & operosius pro hoc laborat Fonseca *V Met. c. II, q. II, S. II, p. 78*, sq. ubi *Patet*, inquit, *nec ponendas esse in forma duas generales ac primas causandi rationes: (causalitates:) unam informandi s. actuandi materiam: alteram constituendi compositum, ut partem actualem, NB. cum ex actuacione nascatur compositio. Et p. 79: Objiciat aliquis, non recte dictum esse, formam una & eadem ratione causandi (causalitate) actuare materiam, & constituere compositum, etsi prius actuat, quam componat. Nam cum forma alia ratione respiciat materiam, ut actuans, alia compositum, ut constituens, necesse videtur fateri, aliam rationem causandi (causalitatem)*

salitatem) esse actuationem materiae, aliam compositi constitutionem. Quod ipse sic diluit: Verum ad hoc dicendum, rationem causandi (causalitatem) non esse relationem, sed fundamentum relationis: unam autem & idem posse esse fundamentum diversarum relationum, quemadmodum eadem calefactio est fundamentum sive ratio fundandi relationem calefacientis & calefacti. Actuatio igitur materiae, quae etiam causatur compositum, est vera & propria, atque adeo unica ratio causandi formae: tametsi ordine quodam duos effectus habeat in substantialibus, alterum materiam informatam esse, alterum confectum & absolutum esse compositum.

Sed simplici nomine unio formae cum materia vel ad materiam, quatenus se habet ex parte formae, diciturque actuatio & informatio; quia

I. Q. est modus, secundum quem causa influit in effectum, sive qui proxime causam constituit ipso actu causantem, illud est causalitas eius.

A. unio est modus, secundum quem forma influit in effectum:

E. unio est causalitas formae.

Major ex definitione causalitatis S. I, Tb. V & VI satis clara.

Minor vero nec probari, nec intelligi melius potest, quam si ad oppositum respiciamus. Forma enim ut esse desinit forma per dissolutionem à materia, v. g. ut unione inter corpus organicum (materiam) & animam (formam) dissoluta, compositum interire necessum est, & anima forma esse actu desinit, sive in rerum natura permaneat, sive & ipsa pereat: ita è diverso incipit esse forma actu secundo per unionem cum materia. quamprimum enim ipsa materiae unitur, statim essentiam speciei alicui confert, eamque ultimo in esse suo absolvit, qui formalis eius est effectus.

II. Q. tanquam modus ab essentia materiae & ab essentia formae diversus in composito est medium constitutivum & distinctivum, illud est causalitas formae.

A. unio formae cum materia tanquam modus ab essentia materiae & ab essentia formae diversus in composito est medium constitutivum & distinctivum.

E. unio formae cum materia est causalitas formae.

Maj. probatur, quia

Q. for-

Q. formam ab aliis causis secernit, id est causalitas formæ.

A. Q. tanquam modus ab essentia materiæ & formæ diversus in composito est medium constitutivum & distinctivum, formam ab aliis causis secernit.

E. Q. tanquam modus ab essentia materiæ & formæ diversus &c. est causalitas formæ.

Minor probatur, quia neque essentia alterius, neque etiam essentia huius cause potest fieri constituens (causalitas) alterius, (compositi,) quemadmodum ex una parte ostendimus *Sect. I, Th. VI*: ex parte autem altera *Stalium*, in simili ferme negotio, *Met. Instit. c. XIII*. E. quærendum omnino est tertium interveniens, quod hic unio. hancque præter *Stalium in Disc. ad Tab. Met. IX*, ponunt *Rudrauff. Curs. Met. D. XII, c. II*; *P. Musæus Inst. Met. c. XXI. §. 7, p. 238*; *Scheibl. Top. c. V, n. 33*; *Gilb. Jacchæus Inst. Met. L. III, c. III, p. 107*; alii.

TH. II.

ETSI vero causa efficiens formam cum materia conjungit & unit; TAMEN non sequitur, formam se cum eadem materia non unire, aut in unione non consistere formæ causalitatem: quia unionem accipimus h. l. non *effective* pro actione, quæ efficienti competit, quæque ambiguitatis vitandæ gratia alias *unitio* nuncupatur; sed *formaliter* pro *statu*, sive *modo aut nexu* inter materiam & formam; præeunte nobis erudite *Fr. Svarasio D. Met. XV, S. VI, n. X*.

TH. III.

ETSI actuatio materiæ eidem causæ competit efficienti, quippe quæ facit, ut quod ante potentia tale erat, sit actu tale, sicut scribens quispiam facit actu esse literas, quæ prius erant potentia tantum; TAMEN non sequitur, male assignatam fuisse formæ causalitatem ideo quod harum causarum distinctæ esse debeant causalitates: quia diversissima id fit ratione: (1) namque efficiens dat esse *ut principium extrinsecum*; forma autem ut *principium intrinsecum*: h. e. (2) efficiens communicat esse *effective* per actionem, quæ ab eadem erigitur; forma autem esse dat *formaliter*, sive se ipsa & non per actionem: naturali enim sequela esse fuit (3) à forma tanquam *principio ut quo*, ab efficiente vero tanquam *principio ut quod*; distingvente nobiscum *Javello V Met. q. III. p. m. 116*.

A 3

TH. V.

ETSI tandem unio est materiæ causalitas, uti *precedente Sectione* ivimus assertum;

TAMEN non sequitur, in eadem non stare causalitatem formæ, cum diversorū generum diversæ sint naturæ: quia à distincto genere causæ ad distinctam ejus à reliquis secundum rem formalem rationem, haud necessaria est collectio. Et potest alias duorum entium realiter distinctorum eadem secundum rem formalis esse ratio, quemadmodum legens E. C. & res lecta distinctissima sunt realiter, & tamen utriusque ratio formalis alia non est nisi lectio; ab ea namque formaliter quis legens, & ab eadem quoque formaliter quid (objectum puta) dicitur lectum: quidni ergo & hic illud locum habeat? Id saltem non diffitemur, utut secundum rem eadem utrobique persistat unio, distinctionem tamen quandam secundum rationem intercedere, diversam scilicet ad diversa habitudinem & respectum. Hæc ipsa quippe unio materiæ est causalitas, quatenus dependentiam à materia importat, h.e. quatenus subjective materiæ inest, exponente Stalio, *sub fin. citati c. XVIII. Inst. Met.* & eadem vicissim unio causalitas est formæ, quatenus dependentiam à forma denotat, h.e. subjective formæ inest. Proindeq; unio est quasi *Bifrons Janus*, duo unibilia, materiam quidem una facie, formam altera intuens, ceu *ἀνεξέσπυτος* Dn. L. Alberti, Patronus ac Præceptor noster ad aram usque sancte colendus, in *Lect. Metaph.* nomine hoc insignire illam solitus est.

SECTIO IV & ULTIMA DE CAUSALITATE FINIS.

TH. I.

FINIS CAUSALITAS est

Non, in ordine ad media, *amabilitas*, quæ rei ad finem ordinatæ sive mediis bonitatem & amabilitatem quandam largiatur aut concedat, h. e. finem causam esse, quod media sint amabilia & bona, quatenus hæc ad illum conducant, e. g. quod sanitas intenta finis sit curationis, nihil aliud esse ac importare, quam quod sanitas sit in causa, ut medicamenta bona sint & amabilia, in quantum ordinantur ad illam causandum, etiamsi acerba alioquin sint & minus sva via: quam sen-

sententiam tuentur Hervæus *Quodl. I, q. IIX, & Quodl. II, q. I*; Tim-
plerus *Metaph. L. III, c. II, Probl. XXXVI p. m. 43*; & ex parte una (du-
plicem namque hic facit causalitatem. vide alteram infra *hac sect. th. III.*)
Javellus *V Met. Q. V. p. m. 160*: Confundentes causalitatem
cum *ratione causandi*. Per hoc enim, quod finis bonitatem largi-
tur mediis suis, aliter non spectatur, quam prout ipse bonus est;
in eo autem, finem esse bonum, non consistit ejus causalitas, sed ra-
tio causandi. Majoris declarationis causa syllogistice colligo hunc
in modum:

Qvo posito finis non est causa in actu secundo, illud non est causa-
litas ejus.

A. posito, finem dare mediis bonitatem & amabilitatem, finis non-
dum est causa in actu secundo.

E. dare mediis bonitatem & amabilitatem non est causalitas finis.
Addatur Martini *Partit. Met. L. I, S. XII, q. III, p. m. 557*.

Sed, in ordine ad agens propter finem, *motio*, quæ rationem causandi, bo-
num videlicet aptum movere appetitum, apprehendit, ut ejus amo-
re vel desiderio aut delectatione aliquid agatur.

TH. II.

Intelligitur autem *motio*

Non *antecedens* (sive natura, sive tempore, sive utroque) *ex se actum à*
voluntate elicitum, eo, veluti afferentes id explicant, quod *motio*
hæc naturali quadam necessitate resultet ex finali causa sufficienter
proposita: Actus autem voluntatis in ejusdem voluntatis liberta-
te maneat. Quod ulterius declarant hunc in modum: Quando bo-
nitas finis sufficienter est cognita, & voluntati proposita, excitat, &
quantum in se est, trahit eam (voluntatem) finis ad sui amorem; Vo-
luntas autem ideo, quod libera est, potest suspendere suum propri-
um actum: ut ita propria finis causalitas consistat in motione, quæ
sit actio distincta ab actu voluntatis: quæ *motio* quamvis respectu
causæ finalis sit velut actus secundus, tamen respectu voluntatis se
habet ut actus primus;

quia non hic nobis sermo de finis motione in se spectata, sed de finis
motione ad vel in aliud, in ipsam nempe voluntatem, quæ quam-
diu libertate sua utens non agit, (non agit autem nisi bonitas suf-
ficienter cogniti finis movendo eam trahat in actum,) quodcumque
etiam

etiam aliud voluntatis actionem præcedens ponatur, finis effectum suum, qui efficiens causa in actu est, non attingit, sicque nec causalitatem suam exercuisse dicendus est. Confer, si placet, non abluentem hinc *Conclusionem primam Stalianam Inst. Met. cap. XXIII*, & Svar. *Disp. Met. XXIII, S. IV, n. IV - VII*.

Sed quæ secundum rem est *ipsa actio vel motio appetitus*, ita ut finis actu & formalis causa non sit, nisi voluntas actu secundo moveatur. Id discriminis tamen notetur, quod motio illa, quatenus à voluntate ejusque activa potentia dependet, sit causalitas voluntatis tanquam efficientis causæ, sicque realis & propria motio, à voluntate ut principio Physico fluens; quatenus autem dependet à fine, sit causalitas finalis causæ. Illo modo rotundi vocarem *motionem voluntatis*, causantis appetitus cognitionem; hoc *motionem* objecti *in voluntatem* agentis: ut ita agens simul per motionem agat.

TH. III.

ETSI vero bruta & agentia naturalia intellectu carent & voluntate, imo posteriora cognitione quoque;

TAMEN non sequitur, ea propter finem non agere, sicque nec causalitatem constitutam in iis reperiri, sed dandam esse aliam, nempe *alicujus gratia vel amore fieri*: quæ altera est conclusio† Javelli *c. l. collat. cum solut. dub. 1*. hancque etiam proponit Fonseca *V Met. q. X, S. IV*, nec non Cajetanus, quem posteriorem solum dum nominat, priores simul quoque refutat Svar. *l. d. n. III*; quia

I. Bruta animantia, quæ sola sensuum cognitione gaudent, non agunt quidem propter finem *formaliter*, at omnino *materialiter*. (h. e. rem, quæ finis aut quæ medium est, non autem quatenus finis & quatenus media, cognoscunt.) Cum enim in creaturis intelligibilibus causalitas finis est actus appetitus rationalis, in brutis ea consistit in actione sive motione appetitus sensitivi, qui & ipse à bonitate objecti cognita ad agendum movet motione metaphorica.

II. Agentia vero mere naturalia, & vi cognoscendi prorsus destituta, quia à duplici dependent principio, à causa prima nempe, Deo, & à causis secundis ac particularibus, agunt itidem propter de-

ter-

† De priori autem diximus supra hujus Sect. th. I.

terminatum finem, eumque cognoscunt, non quidem cognitione sibi ut subjectis agentibus *interna*, sed *externa*, fundata in agente primo. Atque adeo finis causalitas, motio, locum quodammodo hic habet, in agente nimirum superiori, non quidem quasi motionem veram & similem nostræ in se sentiret, quod perfectissimo Enti absit ut tribuamus; sed quia beneplacito ea sic vel sic ordinat: Ut ita illa per divinam ordinationem in finem suum, non minus ferantur, ac si ipsa finem cognoscentia bonitate ejus moverentur. Unde non absurdi isti, qui putant, de rebus cognitionis expertibus tutius & commodius dici, quod à natura naturante *dirigantur in finem*, quam quod *dirigant propter finem* actiones suas, velut aliquoties citatus Martini *Part. Met. L. I, S. XVII, q. VII, p. m. 367*, cum *Thoma & Simplicio*: Vel, quod agentium naturalium *actiones sint propter finem*, quam quod agentia naturalia *agant propter finem*, uti *Stalius Met. Inst. c. XXIV, Concl. I.*

III. Tandem dubitanti forte adhuc cupiam, sufficere ajo, si qualibet *actio fiat propter finem*, etsi non *cujusvis agentis finis* sit: quemadmodum & instrumentalis causæ actio propter finem fit præcognitum à suo principali, quamvis nullus finis adsit ipsius instrumentalis ut præcognoscentis: in quo juvat consentientem me habuisse Tremonianum illum Philosophum *Top. c. VI, n. 16.*

TH. IV.

Etsi Causalitas finis est motio metaphorica, quam magni nostri & vere *ἡγεμονίας Thomasi*, Patroni sancte mihi colendi stylo *Erot. Metaph. c. XVII, n. 7*, vocare posses *motum spiritalem*;

TAMEN non sequitur, causalitatem finis quoque esse metaphoricam, & p. c. nec proprie dictam causam esse, cui ista competat: quia τὸ *metaphoricum* non cadit in *causalitatem* tanquam genus, sed in *motionem* tanquam speciem, ad innuendum, metaphoricam hanc finis motionem non esse *tam crassam motionem*, qualis est efficientis, sed in respectu ad eam, *subtilius moventem*, & quæ manet ab objecto non per modum principii physici influente, sed per bonitatem cognitam alliciente & ad se trahente voluntatem.

B

TH. V.

TH. V.

ETSI tandem movere supponit esse : Finis vero ut causa non semper existit, quoniam plerumque agentis actione producitur ;
 TAMEN non sequitur, illum causalitatem suam exercere non posse : quia non ad omnem causam requiritur existentia, sed sufficit, si quælibet influat per modum suæ causalitatis, sicque ad metaphoricam motionem satis est esse potentiale cum apprehensione, quod possibile sit acquiri, consentiente nobis Javello *l. c. sol. dub. III, collata seqv. Q. VI, sol. dub. II, p. m. 164* : ubi *Non tanta, inquit, entitas requiritur in causa materiali (de qua suo loco probavit) & finali, quanta in causa formali & effectiva. Finis est causa, in quantum movet agens ad sui productionem vel acquisitionem, ad hoc autem sufficit, quod sit apprehensus possibilis produci : & cum productus fuerit, sit bonum perfectivum ipsius appetentis.* Cujus vestigia presse legit Dn. Petrus Musæus *Inst. Met. c. XXIV, §. 10, p. 270, sq.* & in terminis Prætorius *Can. Met. P. G. S. XIII, c. III, p. 333.* Fonseca quoque *V Met. q. X, S. V,* ad objectionem, Nihil actu causare, nisi actu sit, respondet negando : *nam, inquit, etsi id verum est in ceteris causis, (modo existentiam efficientis sæpe ab instrumentaria suppleri intelligas) tamen in causa finali non est verum. Ratio hujus discriminis est, quia sola causa finalis causat ut res desiderata, neque enim rei desiderata, dum desideratur, repugnat non esse : cum tamen repugnet sustinenti, informanti & influenti.* Aut si cum magni & primarii Academiae nostræ Gamalielis, Magnifici Scherzeri, acumine distingvere velis : *Motio illa non fit secundum esse reale ut præsens ; (quia finis nondum existit ;) sed secundum esse reale ut cognitum, (dum ipsius bonitas præcognita movet causam efficientem,)* *Brev. Eustach. Qv. Phys. XXIX, p. 315.* in quo meo præsidio & iutissimo velut alyo Fini huic jam impono

F I N E M.

COROL-

COROLLARIA:

- I. **C**onsequentia ut primo obtutu futilis, at firma tamen est:
Medius terminus non ingreditur conclusionem,
E. Papa Romanus est fallibilis. Sic etenim cape argumentū:

Concio super petram (Papam) edificata est infallibilis.

Ecclesia est concio super petram edificata.

E. Ecclesia est infallibilis.

quod medium hic conclusionem intret, manifestabit Philosophus, quia sic & non aliter vel intelligatur, vel plane etiam inferatur necesse est à sellæ Papalis mancipio,

E. Ecclesia Romana super Papam edificata est infallibilis.

contra namque terminum medium è conclusione, quod decebat, e-
jice, ac tum ita infer, *E. Ecclesia, & quia jam hæc in genere, igitur & no-
stra* (quippe dum omnes omnino *κατακυριωσθη* suæ clavi ac pe-
do, necessario nostram quoque subjectam vult,) *est infallibilis.* Nunc
advertite, quam sponte ruat ista è stramine exædificata infallibilitas.
Si enim hoc, *E.* non falsi fuimus unquam docendo, Tiberinum illum
Regem esse AntiChristum, eumque & falsum hæctenus maxime in
gradu superlativo, & hodiernum falli fallibilemque esse in informan-
da illa Majori, sub qua assumere in vanum nititur. Hæc concise
καὶ ἀνθρώπων; καὶ ἀλήθειαν olim inter Theologos.

- II. Blasphemus est Autor *Tract. Theologico-Polit. de Lib. Philos. c. I, p. 4
& 5*, ita differens: *Qui Dei nihil præter nomen antea noverant, & ipsum
alloqui cupiebant, ut de ejus existentia certi fierent; non video, quomodo
eorum petitioni satisfactum fuit per creaturam, (vocem vere creatam,
decalogum revelantem, quæ ad Deum non magis quam reliqua creata
refertur, & ad Dei naturam non pertinet,) quæ diceret, Ego sum Deus.
Quæso quid si Deus labia Mosis, sed quid Mosis? imo alicujus bestie con-
torsisset ad eadem pronunciandum, & dicendum, Ego sum Deus, an inde
Dei existentiam intelligerent? Scilicet hæc ex genio proprio, cujus ipse
est descriptor c. IX, p. 121 ejusdem diabolicæ Libertatis.*

- III. Nihil evincit idem scriptor pro libero suo, eoq; impiissimo judicio
in religione, *cap. ult. p. 229*, argumentum afferens, cujus nervi huc
tendant:

Qvo

Quo sublato nihilominus ponuntur ejus absurda, id immutatum relinqvendum est.

A. sublata libertate Philosophandi, seu de religione pro lubitu sentiendi, scribendi, disputandi &c. ponuntur perfidia & adulatio, h.e. aliud sentire, aliud loqui. E.

Nam (1) incido vim Majoris instantia: A. sublata licentia agendi in exercitio justitiæ, simulque obediendi Deo ac superioribus (quæ tibi, quisquis sis, fundamentalia dogmata) nihilominus dabilis simulatio, fraus & circumventio proximi. E. &c. Quare (2) distingue inter *ἀποκατάκρισιν* sive conscientia convictionem; & *explicitam persuasionis confessionem*. sufficit illam obtinuisse falsi victrici denudatione, dialogo syllogistico mentali & λόγῳ ἔσω ad stimulum usque percepta, non sequatur licet externus ejusdem victoriæ terminus λόγῳ ἔξω prolatus, qui decretorio cogitationum judicio, quod gratulor mihi te credere, reservandus.

IV. Duorum nominum divinatorum יְהוָה & אֱלֹהִים alterum recte scribitur *Jehová*, alterum vero *Elóah*; quod posterius insuper non est nisi monosyllabicum.

V. Operationem mentis primam è sede ac domicilio logices plane rejicit Mendoza *Disp. Log. I, S. II, tb. 10, p. 70*, cujus non verba quidem, sed mentem syllogistice proponit CL. quondam Philosophus in *מ"ך p. m. 65*:

Ille tantum actus pertinet ad directionem Logicam, qui potest aberrare à veritate.

Prima mentis operatio non potest aberrare à veritate. E.

Sed quid si resp. distingv. inter *aberrationem complexam s. reflexam, & incomple-xam s. nudam*? Directio certe illius præsupponit hanc. deviatio enim à veritate non immediate, sed omnino mediantibus primis conceptibus existit in intellectu, qui nisi in recte definiendo adjuvetur prius aut supponatur adjutus à prima operatione, non recte qq. componere ac dividere, nec argumentari recte poterit: sicuti corium calceabile elaborandum est per futuriam artem, nisi à calcei forma aberrare opifex velit. Cetera aperte falsus Mendoza scribens, *Sicut in apprehensione nulla est propositio, ita nulli sunt termini.*

VI. Conclusio semper est syllogismi pars.

VII. Copula EST uti non est terminus, ita nec pars enunciationis, nec dum pars prædicati.

VIII. Enthymema proprie dictus Syllogismus non est.

IX. Recte scripsit Aristoteles, *Justa agendo aliquem fieri justum.*

F I N I S.



Leipzig, Diss., 1672 (1)


TA-OL


32.1+28



1077







B.I.G.

Farbkarte #13

158!
LOSOPHICA
OR
itatibus
um,
i
ectatissimæ
sophicæ
Academia,
CE
CO
ndo
n disquisitioni
ttit
Wintzer /
O.
M DC LXXIV.
I HAHNI.

29
/

